

Ad Leonem XIII.



Ime Rex, Pastor vigil ac colende
Pontifex, piscans animas tenensque
Siderum claves! hodie Tuorum
Corda triumphant.

Lustra iam bis quinque geris sacratam
Infulam gemmis probitatis atque
Laudis ornatam! Tua vita cunctis
Semita recti.

Pontifex Te mittit amans, petisque
Belgicos fines, bona pacis affers.
Corda Te regis, populi reducem
Pone sequuntur.

Praesulem vult esse sibi sacrorum
Civitas felix, cui prae fuisti
Ante legatus: et ecce Te illa
Praesule gaudet.

Cura abhinc princeps stimulansque pectus:
Crescat ut sacrata Deo iuventus
Indole sancta, studiis, numeroque
Amplificetur.

Utque pastores populi fideles
Moribus clari niteant: paterne
Perdoce vitaque pia coruscans
Lumina spargis.

Fidus exempli Domini minister
Parvulos ad Te pateris venire,
Et scholis mandas pie utrumque sexum
Admoderari.

Artibus pulchris studiisque doctis
Semper intentus iuvenum sciebas
Nobiles formare animos et aestum
Sollicitare.

Maestus audisti gemitus egenae
Plebis: heu largis manibus levare
Suscipis pressam, pietatis amplos
Condere montes.

Afficit zelum spoliata cultu
Cernere Aeterni veneranda templa:
Gloriam reddis, renovas decorem
Prodigus usque.

Aspidi antiquo furiosa bella
Comminanti in Christicolas paratus
Fortis ultor restiteras, nec unquam
Vulnera passus.

Haece dum solers agitas decusque
Effugis: clerus populusque et ipsa
Roma Te salvere iubet verendo
Murice comptum.

Praesulem tantum videt orbis Auctor:
Siderum claves Tibi praebet atque
Omnibus vult Te esse patrem simulque
„Lumen ab astris.“

Insides puppi, subigis carinam
Fluctibus saevis placidisve semper
Navita ad portum ratibus sedentes
Ducere gnarus.

Impiger summus modo doctor orbis
Instruis reges populosque vera,
Pandis ad coelos aditus et ipse
Moribus ambis.

Arridet cunctis veneranda fama
Juris et recti, veniuntque gentes:
Arbitrum Te audire volunt serenae
Ob bona pacis.

Filios offert Benedictus: hos Tu
Laetus amplexans facis esse prisco
Spiritu plenos operique sancto
Associatos.

Ipse Francisci bibis a iuventa
Indolem fidam et humilem piamque :
Hanc probas mundo misere iacenti
Ferre salutem.

Astitit Virgo Genetrix labori!
Hanc rosarumserta plicans vereri,
Hanc Tibi Tu propitiam Tuisque
Reddere nosti.

Heu Leo! iam canitie verenda
Cingitur frons; iam premeris senecta;
Pondere annorum titubant moleste
Planta et artus . . .

Siste iam carmen! magis ad supernos
Tolle devotum modulamen! affer
Regio caelestia dona Mystae:
Munera diva!

Tu Leo! fortis stare perge posthac!
Ut leo vindex inimica pelle!
Ut leo praedans animas redemptas
Ducito ad astra!

G. H—p.

